



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.





1. Silberlingi: De milite sano conservando: 1780. 1729.
2. Simon: De modo bene moriendi et bene moriendi. 1729.
3. Singer: De perreptione bilis 1778.
4. Spach: Casus <sup>Sarv</sup>Hydroceles. 1761
5. Staedel: Gonorrhoea virulenta 1695.
6. Staudt: De venae sectione in gravidis 1749.
7. Stein: De sagra 1757
8. Stegmann: De ophthalmia ibiq.
9. Stein: De tussi stomachali humida
10. Steinmann: De cauris cui frequenter viri prae feminis calculi fiunt 1771
11. Stiegler: De oxy~~co~~ky an sive hernia scroti 1681
12. Stoer: De emanatione mensium. 1764
13. Stoerer: De febribus in genere 1697
14. Stosch: Revertitur experientia comprobatur 1722
15. Stroehlin: De relaxatione vaginae, prolapsu & inversione uteri 1749
16. Stuart: De secundinis salutiferaeque ac nocivae 1736.
17. Sulzer: Historia morborum quorundam Helvetiarum Endemiorum 1740







J. J.

THESES MEDICÆ

DE

FEBRIBVS  
IN GENERE,

Quas

Divina adspirante gratiâ

*In Alma Argentoratensium Universitate*

PRÆSIDE

DN. MARCO MAPPO,

Med. D. & Prof. Publ. ordinario,

Speciminis Medici edendi causâ

*In SOLENNI Eruditorum congressu.*

pro viribus defendet

JOHANNES GOTTFREDVS STÖSSERVS,  
Argentinensis.

*Die 18. Mens. Jul. Anno M DC XCVII.*



ARGENTORATI

LITERIS JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.



SCHENCKBECHERIANÆ  
MVNIFICENTIAE  
DIRIBITORVM  
Collegio

VIRIS  
NOBILITATE GENERIS,  
MVNERVM AMPLITUDE,  
BENEFICIORVM MAGNIFICENTIA, CONSILIORVM  
AC MERITORVM IN REMPUBLICAM MAGNITUDE,  
DEXTERRIMO RERVM GERENDARVM VSU ET  
SCIENTIA UNDIQUAQVE MAXIME  
CONSPICUIS

*Mæcenatibus, Patronis, studiorum  
Promotoribus, aeternum venerandis,*

Exercitium hoc Academicum

in

Perpetuæ observantiæ & grati  
animi testimonium

*reverenter & obsequiosè*

*dicat consecratq̃*

JOHANNES GOTTFREDVS STÖSSERVVS.





THESES MEDICÆ  
DE  
FEBRIBVS  
IN GENERE.

TH. I.



Uæ Pictoribus atque Poëtis,  
quidlibet audendi semper fuit  
æqua potestas, hanc nullo sibi ar-  
rogant jure, nonnulli novellantes  
in Foro Medico Doctores, tum  
alias, tum quando circa doctri-  
nam de Febribus sunt occupati.

TH. II.

Ex his præcipui sunt, qui pro suo quasi arbitrio, &  
quasi pro autoritate, nova supponenda obtrudunt in-  
cautis, vel à Doctis illa sibi dari postulant, & tanquam  
data fuissent, novam illis doctrinam superstruunt.

TH. III.

A curiosis interim atque indefessis Anatomicis,  
eruditis Chymicis, perspicacibus Practicis, hoc nostro  
seculo doctrinam de Febribus majores accessiones ha-  
buisse,





buiffc, quam ab Hippocratis ufque & Galeni temporibus, agnofcendum eft.

TH. IV.

Quos febricitare hodie dicimus, eorum affectioni cultiores gentes tantum non omnes, ejufmodi impoferunt nomina, quæ Caloris exceffum infinuant.

TH. V.

Scilicet ex re nomina invenerunt & fumerunt, quibus non alia magis congruentia.

TH. VI.

Nullum eft dubium, antiquiffimis temporibus antequam Medicina in artis formam efferet redacta, quos hodie febricitare diceremus, de calore inufitato, æftu, effervescencia, ebullitione, igne in corpore conqueftos fuiſſe; ſicut noſtrates formulas calorem moleſtum vel notantes vel connotantes iterum iterumque geminant.

TH. VII.

Bona autem fide non agunt, qui in gratiam ſuæ hypotheſeos, quod Græcis πυρετός eſt, Latinis Febris, Germanis das Kalte oder das Kaltwehe vocari, ſuſtinent ſcribere.

TH. IIX.

Calumnia eſt, quando non nemo ſuſtinet incautis perſuadere, Medicos ab Etymologiſtis ut vocant, in errorem deductos, ut Febrem Calorem præter Naturam dicerent & ex Etymologia ſuam fabricarent Definitionem.

TH. IX.



TH. IX.

Antiquissimi, quantum constat, Medici, Affectio-  
nem quæ Græcis πυρετός, Latinis Febris dicitur, per Ca-  
lorem definiverunt.

TH. X.

Qui hos sunt secuti, non tantum ut ad ægrotan-  
tium captum se accommodarent, sed etiam, quia nec  
sana ratio, nec sensus humanus aliud suadere potue-  
runt, Morbum talem per Calorem Nonnaturalem vel  
Præternaturalem definiverunt.

TH. XI.

Ipsè Hippocrates Magnus merito dictus, excussis  
quæ ad tempora ipsius habebantur circa Febres obser-  
vationibus; quidditatem Febris consistere in excessu  
Caloris in corpore, agnovit docuitque, non obstante  
mira Symptomatum varietate.

TH. XII.

Nam Hippocratem serió monuisse, Calorem &  
Frigus non esse morbos, nec morborum causas (ut non  
nemo sustinuit scribere,) tam falsum est, quam quod  
falsissimum.

TH. XIII.

Galenus vero ubique ad quatuor Elementa atque  
elementares qualitates respiciens, Intemperiem cali-  
dam esse dixit, eundem excessum Caloris insinuans,  
quamvis respectum ad amissam temperiem connotet.

TH. XIV.

Sagaces Artis Proceres denique rudiores etiam  
intelligere docuerunt, corpore foris frigido exi-  
stente,





stente, intus gliscere posse & occultari calorem, impedimento remoto, erumpere in univcrsum corpus paratum.

TH. XV.

Hinc ratum fuit habitum à purioris Medicinæ Doctoribus, quod Galenus Comm. I. in VI. Epidem. 29. scripsit. Essentia Februm est, non secundum Hippocratem modo atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum, Caliditas præter Naturam, maximè quidem in totum animal effusa; sin minus, at omnino vel in pluribus partibus vel in nobilissimis accensa.

TH. XVI.

Quid vero ipse Calor sit vel Caliditas, quando quæritur, eruditus hæctenus ordo verbis id satis definitivisse non videtur.

TH. XVII.

Aristoteli certe hæsisse aquam, quando docuit Calorem esse qualitatem quæ congregat homogenea & segregat heterogenea, Recentiores perspicue declarant.

TH. XVIII.

Neque tamen hi rotundam aliquam definitionem Caloris adornarunt.

TH. XIX.

Manet nobis etiam hic ratum, quod monuit Galenus l. VII. Anat. Administr. quando scripsit: Quæ visu tantum aut tactu manifeste dignoscuntur, ea verbis doceri accurate non possunt.

TH. XX.



TH. XX.

Quando Erasistratus rerum olim novarum studiosus, Febrim definivit, Motum Sanguinis Conceptacula spiritus subintrantis, nullo febrientis assensu factum; applausum invenit; hodie autem, Motu sanguinis per venas & arterias clare detecto, vix assensum à tyrone Medicinæ impetraret.

TH. XXI.

Superiori seculo, cum Medici Græci, Latini, Arabes, in doctrina de Quidditate Febris, quam Galenus fusius proposuit, acquievissent, Philippus Theophrastus Bombast ab Hohenheim, dictus Paracelsus, Præparationum & Operationum Chymicarum novitate, & curationum, quamvis multis suspectarum, successu tumidus, vano conatu illam plane destruere est aggressus, obscuris scriptis & calumniis manifestis.

TH. XXII.

Ipsè autem fluctuavit, quando dicendum, Quid Febris?

TH. XXIII.

Hinc eruditi Chymici hodie non admodum solliciti sunt de propugnanda ipsius sententia.

TH. XXIV.

Merito in Foro Medico exiguum applausum invenit Non-Medicus; Monachus scil. Stylenfis, Ord. Præd. Thomas Companella, qui nostro seculo novum dogma urgere & Medicis obtrudere ausus est; Febrem scil. non esse Morbum, sed Bellum contra Morbum potestativa vi spiritus initum; nec melius à Natura remedium



medium datum esse animantibus, ut ad sanitatem perveniant: sicut neque Civitatibus cum impugnantur, ut ad suam tranquillam redeant conservationem, quod melius Bello, inventum.

TH. XXV.

Ut speciem novo dogmati & probabilitatem quandam conciliaret, claudicantibus potius similitudinibus, quam ulla ratione solida est usus, quamvis plurimas voluerit videri attulisse.

TH. XXVI.

Si vera essent quæ fingit, piaculum esset, Medicum pugnare contra febrem aut eam extinguere: ferenda illa potius esset, imo excitanda: quod nullus sani syncipitis facit.

TH. XXVII.

Illud tamen jure aliquis mirabitur, quomodo (verba sunt Corn. Celsi) quædam (inter quæ Febres) simul affligant corpora nostra & parte aliqua tueantur!

TH. XXVIII.

Notati hæcenus Novatores in omni Febre, Calorem p. N. agnoverunt, sicut qui vel ante vel post supra notatos Artis Proceres, superioribus seculis, Febrem sine gliscente calore agnoverit, vix invenias.

TH. XXIX.

Nostrâ vero ætate fuerunt magni nominis Viri, qui inter cætera ad ostentationem comparata dogmata, Venerandæ Antiquitati insultantes, in omni Febre esse Calorem negarunt & id ipsum probasse voluerunt videri.

TH. XXX.



TH. XXX.

Nam de receptorum tædio, minus perspicaci quorundam credulitate, affectata etiam quorundam in ipsos reverentia certi, applausum sibi sunt polliciti & nonnullum invenerunt.

TH. XXXI.

Summa doctrinæ novæ est hæc. Calor in Febribus potest adesse & abesse. E. Essentia Febris non potest consistere in Calore. Dantur Febres sine calore, E. Essentia Februm non potest consistere in Calore, nec Febris per Calorem definiri potest.

TH. XXXII.

Magnum vero illud postulatum, In Febribus Calorem posse adesse & abesse, darique Febres sine Calore, nunquam probare potuerunt qui illud protulerunt, nec probare possunt, qui illos sequuntur.

TH. XXXIII.

Nam quando I. ajunt; In Februm intermittentiis principiis, horrore aut rigore cum refrigeratione correptos febricitare & solatium à fotu desiderare: Respondeo. Si nobis revocamus in memoriam sex tempora, in quæ Galenus, exempli gratia, Tertianarum intermittentiis totam periodum seu circuitum, tempus etiam intermissionis connumerans, divisit, sicut divisionem illam quotidiana Experientia confirmat; vel ipsis sermo est, de primo tempore, quod Sanitati coherens frigoris sensum præbet, insequente horrore, rigore, pulsu depresso; vel de secundo, quod Inæqualitatis dicitur, in quo, durante adhuc in extremis frigore, pul-

B

sus





fus & calor emicare incipiunt, donec totum corpus incalescat. Si de primo ipsis sermo est, negamus cum Artis Proceribus, eos qui in illo tempore sunt constituti, febricitare. Si de altero, observent Caloris p. N. jam gliscentis indicia.

TH. XXXIV.

Dico porro cum Doctore Medico celeberrimo. Sicut vicino Sole sub aurora, tenebricosus & rutilans nubium color non est pars diei, sed hujus prodromus, ita frigus & horror occupans corpus, non est pars Febris, sed ejus anteambulo, sicut alii morbi suos prodromos habent, qui tamen quidditatem & essentiam illorum constituere minime dici possunt.

TH. XXXV.

Addo; sicut molestia quam fumus creat, ante incendium, non est calamitas quam incendium facit; ita molestia quam horror aut rigor cum refrigeratione, imminentibus Febris intermittentibus, constituit, est diversa ab ea quam Febris facit & ab ipsa Febris.

TH. XXXVI.

Nec aliud sibi voluerunt Græci, quando oscitationem illam, pandiculationem, pallorem livoremve unguium, labiorum, refrigerationem, horrorem, rigorem cum suppresso pulsu, imminente paroxysmo Febris intermittentis, *Ἀποσημασίαν* appellarunt, quam hoc, illa Calorem p. N. mox vel paulo post adfuturum, indicare?

TH. XXXVII.

Observatâ distinctione traditâ, actum est de multis



251

tis circa hanc materiam garrientium nugis, ad plausus  
theatricos, quam Eruditorum suffragia impetranda  
magis comparatis.

TH. XXXIIX.

Nec prohibet Refrigerationem cum horrore Pro-  
dromum Febris dici, quod quandoque diu protraha-  
tur, imo interdum duret diutius quam Febris, quod ex-  
emplo aliorum morborum declarabimus.

TH. XXXIX.

Ita sc. Refrigeratio illa cum horrore aut rigore, si-  
ve celeris sive lenti Anteambulonis, semper morosi,  
rationem habeat, ad Essentiam Febris non pertinet.

TH. XL.

Cum insuper in foro Medico receptum sit, secun-  
dum præcepta Logicorum, ita definitiones Morbo-  
rum adornare, ut repræsentent illos non fientes, sed  
factos, & qui formam suam & complementum ali-  
quod adepti sunt, frustra sunt, qui vitio vertere omni-  
um seculorum Medicis sustinent, quod Definitio Fe-  
brium quarundam Febrium Prodromo non conveniat.

TH. XLI.

Sed forsitan præceptorum Logicorum illi quidem  
magnam non habent rationem, cum primarius dog-  
matis author sustinuerit discentibus insinuare, Logi-  
cam Medico esse inutilem.

TH. XLII.

Quæ diximus luce sua ita radiant, ut hanc Ante-  
signano dictorum forsitan immemori, confessionem  
extorqueant: Si frigus dicit initium accessionis & non

B 2

Febris,



Febris, saltem accessio adventantem Febrim dicit. Est alius qui scribit. Prælua sunt modo in extremis manuum & pedum digitis aut unguibus pallor; modo in lumbis & femoribus frigus & dolor, aliquando totum simul corpus rigor & horror invadit.

TH. XLIII.

Denique dogmatis author negare non potest, tum ipsis ægrotantibus, tum aliis venire in mentem, in Febris intermittentibus, dum frigus penetrans medullitus per aliquot horas durat, laborantes alio affectu, hactenus anonymo, correptos, quam febrim, cujus natura diversissima & prorsus contraria.

TH. XLIV.

Quando II. nonnulli jactant, ex communi sententia Medicorum sequi hoc absurdum: Hominem aliquem durante rigore aut frigore morientem, febre non mori, Respondeo: De tali absurdo ne quidem cogitare possent, nisi Artis Procerum distinctiones huc pertinentes, eruditisque Medicis probatas vel negligerent, vel de industria confunderent,

TH. XLV.

Frustra III. allegant languentium in Nosocomiis auctoritatem, qui dicunt, Febrim sibi inchoatam, quando horrore corripuntur; illa enim oppido parva est.

TH. XLVI.

Quando autem IV. novæ doctrinæ conditor, scribit, se noviter objecisse Castrenses Febres, quæ citra sitim ac manifestum calorem accidunt, calorem ipse latentem, suppressum, intus gliscentem, quandoque sævientem non excludit.

TH. XLVII.



251  
TH. XLVII.

Ubi autem allegatae Febres Castrenses observatae fuerint, non indicatur ab authore notato: unde & qui vestigia illius alias premunt, quoniam Febres Castrenses longe aliter se habere, vel experti sunt, vel à Medicis, qui castra sunt secuti, didicere, de Febribus illis tacent.

TH. XLVIII.

Quando autem V. iactarunt alii, se (Majoribus sc. omnibus oculatiores) incidisse in Febrium species, in quibus frigus perseverans per plures septimanas, imo menses, agris semper molestum & adstantibus manifestum erat, nullo aucti caloris indicio comparente, quas propterea Algidas vocarunt, frustra crediderunt se urgentissimum invenisse argumentum.

TH. XLIX.

Incidisse notatos Medicos in aegros continuo frigore afflictos per plures dies, menses, in Belgarum terris, Maris Baltici accolis; incidisse etiam in plures tales, quam alii Medici incidunt, in Regionibus ubi salubrior victus ratio, non negamus; sed febricitasse illos, nunquam illi potuerunt probare.

TH. L.

Si incidissent iidem in C. Plinii Historiam Naturalem, procul dubio ab ipsius auctoritate argumentum petiissent, quia ille Frigidarum Febrium non semel facit mentionem.

TH. LI.

Frustra tamen & illud factum esset; quia C. Plinius per Frigidas Febres non alias intelligit, quam quas cum horrore venientes etiam vocat.

B 3

TH. LII.



TH. LII.

Πυρετοὶ φεικώδεις Febres horridæ Hippocratis lib. i. Epid. sect. i. & Galeni in Comm. Viros istos sagacissimos in admirationem rapuerunt; neque tamen propterea communem conceptum de Quidditate Febris mutandi jus sibi arrogarunt: ut merito Eruditi non capiant, ex quâ præsumptione Recentiorum nonnulli hoc tentare sint ausi!

TH. LIII.

Frustra allegant Febres Syncopales, humorosas quibusdam dictas.

TH. LIV.

Instantiam etiam nullam subministrat Febris amatoria aut Virginea dicta.

TH. LV.

Febrem etiam sine calore non probant Morbi maligni, aut etiam Pestis species in quibus calor mitis blandusque sentitur, pulsus & urina dicuntur sanorum similes.

TH. LVI.

Fucum facit incautis fallax assertio, Esse Febres hecticas, in quibus calor nonnunquam minor esse solet, quam tempore sanitatis erat.

TH. LVII.

Frustra etiam allegant nonnulli Febrem lentam, tanquam Febrem sine calore.

TH. LIX.

Qui nostra ætate Febrim per Fermentationem aut effer-



vescentiam immodicam, Motum auctum & inordinatum sanguinis, fatagunt definire, non videntur causam ab effectu satis distinguere.

TH. LIX.

Apta tamen videntur accommodasse vocabula, quibus calorem & caloris causam simul insinuarent, & tolerabiles sunt quibus utuntur formulæ.

TH. LX.

Subjectum Febris est Corpus humanum, non Cor, non sanguis.

TH. LXI.

Quamvis igitur ex Recentioribus celeberrimi quidam Viri, discentium & quorundam docentium ingeniis scrupulum injecerint, circa Quidditatem Febris, nullam tamen solidam in medium protulerunt rationem, quare à communi Veterum sententia, imo omnium hominum conceptu, ut Galenus loquitur, recedamus.

TH. LXII.

Proxima atque immediata causa Febris causa est, Caloris p. N. in & cum sanguine & spiritu à corde irritato per auctum pulsus in universum corpus diffusio quam actionum in partibus læsio sequitur.

TH. LXIII.

Sanguinis autem nomine nobis hodie (sicut tantum non omnibus) venit Totum illud fluidum heterogeneum, quod, secundum ordinarias naturæ leges, per Systemata Arteriarum atque venarum circulari motu fertur.

TH. LXIV.



TH. LXIV.

Quod gliscente intestino in sanguine motu, Cor irritetur, moxque pulsum frequentiore, celeriore, vehementioreque faciat, quantum potest, certi sumus. Arcanum tamen Cordis sensum, consiliique rationem & causarum omnium connexionem Natura magnam partem sacro tegit involucro.

TH. LXV.

Propinqua causa est Fermentationis Naturalis in Corde perversio & auctio cum irritatione Cordis, quam Pulsus celerior & frequentior prodit & calor inusitatus in corpore sequitur.

TH. LXVI.

Calorem tamen p. N. semper primum in Corde accendi, quod Arabes Medici voluerunt, à nemine hætenus probatum.

TH. LXVII.

In vehementioribus autem Febribus & continuatione illarum, magnæ præcipue efficaciam & activitatis sunt, emergentes in corde, ex humore præternaturali sanguini permisto, & ipso sanguine, corpore valde heterogeneo, molem fluidam turgescere & effervesce facientes particulae.

TH. LXIIX.

Quoniam sanguinem motu tum animi tum corporis incalescere certum est, particulis fermentativis emergentibus, hisque irritato Corde, insequente mox pulsus multiplicatione, sanguinem tanto magis effervesce est necesse.

TH. LXIX.



TH. LXIX.

Sicut, quamvis ratione nobis non satis cognita, ex portione massæ farinacæ dulcis & sale, in loco calidiusculo ortum fermentum magnæ activitatis, mollem massæ farinacæ sensim & blande fermentat, & fermentando reformat; eandem vero in loco calido, vel si immodica quantitate sit additum, nimis exaltat, ut turgida vasis continentis terminis non contineatur, vel Vitiosum totam massam male afficit; ita quod in corde, quod Fons sanguinis, Spiritus & Caloris est & simul machina distributionis illius in universum corpus, respondet fermento, humorem nutritium in & cum massa reflua, secundum ordinarias naturæ leges accedentem blande fermentat, reformat & transmutat, & sine tumultu per Arterias in universum corpus impellit: Delatis vero in venticulos Cordis humoribus p. N. magis minusve fermentescibilibus, irritato corde, Pulsu aucto, effervescencia oritur & per arterias continuatur, unde æstus & calor p. N. constituitur in omnibus partibus.

TH. LXX.

Qui operose instituerunt ostendere, Fermentationem curiose posse distingui ab Effervescencia & Ebullitione; distinctionem autem istam Observatam fuisse aut observari, probare non possunt, postulare à doctis non possunt, ut eos sequantur.

TH. LXXI.

Ad id autem quod Fermento in Corde naturaliter respondet, Spiritus ab ortu inhærens, Aer in pulmonibus sanguini accedens & reliquiæ sanguinis inter

C

Sulcos





fulcos & fissuras Ventriculorum, ratione nobis non plene & plane cognitâ, præcipue videntur conspirare.

TH. LXXII.

Fermentationem autem secundum ordinarias Naturæ leges in Corde concipimus, tum præternaturalem in Febribus contingere statuimus, quia eadem quæ in rebus quæ fermentari, dicuntur, notantur, in sanguine ad Cor delato observari possunt, nec minor est sanguinis aut loci ad fermentationem aptitudo.

TH. LXXIII.

Secundum ordinarias Naturæ leges Sanguinem pro vita formaliter accendi, flammulamque vitalem continuari, & præter Naturam in Febribus veram conflagrationem fieri, durum nobis videtur asserere. Effervescentiam autem utrinque in affectu accensioni analogo consistere, libenter agnoscimus.

TH. LXXIV.

Ita agnoscendum hodierna luce, ex perspecta magis Fermentationis indole, detectoque motu sanguinis & humorum, naturam Febrium clarius representari, quam olim ex allegata Putredine fuit proposita, Chyli & Sanguinis in corpore motu vero non cognito.

TH. LXXV.

Diligentior tamen meditatio Putredinis à Galeno in Doctrina de Febribus allegatæ, quam non Corruptionem sed Mutationem ad corruptionem dixit, mihi quidem videtur occasio fuisse seculi nostri quibusdam



256

busdam Scriptoribus Medicis, Februm Naturam ex  
excussa Natura Fermentationis amplius illustrandi.

TH. LXXVI.

Quos autem fermentationem in Corde modicam  
pervertere & augere notamus humores, in Corpori-  
bus nostris ex varia prava Viſtus ratione vel Viſcerum  
labe, vel miasmate quodam peregrino incidente ori-  
untur, in & eum Sanguine ad Cor delati, actiones Cor-  
dis turbant, & nunc citius nunc tardius emergentibus  
particulis fermentativis, efferveſcentiam aut fermenta-  
tionem p. N. in ſanguine excitant.

TH. LXXVII.

Notati humores non tantum ſunt varii, ſed & di-  
verſiſſimæ naturæ, in eo convenientes tamen, quod  
particulas fermentativas contineant.

TH. LXXIIX.

Quamvis autem ex variis humoribus, dictâ ratio-  
ne, Febres oriantur, Eruditi tamen Medici Experientia  
ſuffragante ſemper ratum habuere quod Hippocrates  
I. de Natura humana ſcripſit. Οἱ ἢ πλεῖστοι τῶν πυρεθῶν γίνονται  
ἀπὸ τῆς χολῆς. Febres plurimæ à Bile fiunt.

TH. LXXIX.

Verba ipſa ſi expendamus, ultro apparet, quam  
frustra fuerint, qui univerſalem Februm cauſam inde  
eruerere voluerunt.

TH. LXXX.

Interim hinc intelligitur, Quæ corpora Febris  
præ aliis obnoxia.



TH. LXXXI.

Ad modum motus fermentativi representandum non sufficit, ut hodie ad nauseam usque fit, nominasse particulas quomodocunque tandem figuratas. Qui illud faciunt, obscurum per magis obscurum satagunt explicare.

TH. LXXXII.

Nec utramque paginam (quod dicunt) absolvunt Alkali & Acidum.

TH. LXXXIII.

Præcipites lapsi sunt in hac doctrina, qui, cum viderent in Laboratoriis Chymicis, permixtis certis liquoribus, præcipue Salinis & extreme acidissimis, mirabilem ebullitionem & effervescentiam, de sanguine tum naturali tum morbido, eandem fabulam narra-  
runt.

TH. LXXXIV.

Ad eundem modum motus ante oculos quasi sistendum in scenam productus humor Triumvralis, tantis premitur difficultatibus, ut hodie plerique de illo taceant.

TH. LXXXV.

Qui Materiae subtilis ambiguitate ludunt, & poros singulares in fluido perpetuo impetu propulso fingunt, suo finimus abundare in genio.

TH. LXXXVI.

Non ita pridem publici juris facta Opinio, à male digesto chylo relictas in sanguine cruditates, in arteriarum



(19.)

25<sup>r</sup>

riarum extremis angustissimis tubulis propter crassitiam retineri, ibi hærentes acescere, partes vicinas sensiles vellicare, his contractis illarum saltem partem in sanguinem repelli, eamque à sanguine resorptam, ejus compagem quatenus acida est dividere & reserare, hinc sulphureas particulas emoveri, atque ita Calorem p. N. & fermentationem constitui, quam plurima supponit, quæ nec ratione probari, nec sensus fide confirmari possunt.

TH. LXXXVII.

Nec aliter se habet illorum sententia, qui Stagnationem sanguinis vel Lymphæ ad oscula arteriarum ac glandularum, & præter obstructions, nescio quas inflammationes varicosas allegant.

TH. LXXXIIX.

Quando dicendum Quid sit Febris? non sufficit fundamenti loco suis obtrudere, esse unicum signum Pathognomonicum Febris, quod omni, soli ac semper conveniat.

TH. LXXXIIX.

Quando autem illud signum celeberrimus quidam Vir docuit esse Pulsum frequentiore, admiratione dignum est, Virum qui in examine Corporis humani tum sani tum ægri sibi visus est præ omnibus perspicax, non vidisse, quantis assertio illa prematur difficultatibus.

TH. XC.

Sicut rarissime in morbis unum signum nos potest reddere certiores de specie morbi, sed *συνδρομή*





signorum constituit signum Pathognomonicum quod vocatur; ita Pulsus p. N. frequentior utramque paginam non absolvit, quando quæstio est, An homo febricitet?

TH. XCI.

Calor p. N. vel ipsi sensui tangentis obvius, ægro nunc foris nunc intus vel utrinque molestus, aliis etiam signis v. g. siti, dolore capitis sese prodens, Pulsus p. N. frequentior & celerior, virium languor, spontanea lassitudo si concurrunt, verum signum Pathognomonicum Febris constituunt.

TH. XCII.

Cum dentur homines, qui à naturali & peculiari Corporis constitutione habeant, etiam sani cum sunt, pulsum frequentiore & celeriore quam alii plerique, si solus Pulsus p. N. frequentior nos reddit certiores de Febre, quomodo quæso dignoscemus illorum pulsum non esse p. N. nec indicare Febrem.

TH. XCIII.

Quando autem supra notatus Vir celeberrimus contendens Pulsum p. N. frequentiore esse unicum signum Febris, deinde ita se explicat, quod illum intelligat pulsum frequentiore, qui conjunctam vel mox subsequenter habeat notabilem corporis molestiam doloremve, atque adeo functionis alicujus ad vitæ naturalis beatitudinem requisitæ labefactionem, ludit in terminis.

TH. XCIV.

Nam reapse nil aliud dicit, quam quod omnes dixerunt,



xerunt, scil. Pulsus frequentiore, non indicare fe-  
brem nisi actiones lædantur. Atque ita Pulsus fre-  
quentior non est unicum signum Febris.

TH. XCV.

Qui à se impetrare potuerunt, ut crederent vel  
credant etiamnum, dum Cordis & Arteriarum Pulsus  
est celerior & frequentior, sanguinem tardius & se-  
gnius circulari, contra evidentiam demonstrationum  
anatomicarum cæcutiunt.

TH. XCVI.

Illud asserere æque absurdum est, ac dicere,  
contentum in Siphone liquorem, celerius, sapius &  
fortius acto versus extremitatem perviam Embolo,  
segnius per hunc erumpere; aut contentum in vesica  
cui fistula ad, aptata, liquorem, illâ frequentius cele-  
rius & fortius compressâ, tardius efferri.

TH. XCVII.

Argumenta quibus illud probare nonnulli fata-  
gunt, Comicum produnt ingenium. Examine autem  
Eruditorum vix digna sunt.

TH. XCIIIX.

Non secundum Definitionem Etymologicam, ut  
non nemo sustinuit suis inculcare, sed ex intellecta  
Natura Affectus & Causæ, habitâ Virium ratione, in-  
dicationes suas habent Medici Rationales dicti, &  
secundum illas in singulis Febrium speciebus curatio-  
nem adornant.

TH. XCIX.



TH. XCIX.

Ita tamen semper adornare curationem, ut optatus à Mortalibus eventus sequatur, Mortalibus Medicis datum non est, quia præter cætera, quorum mentionem Hippocrates fecit. Aph. I. I. φύσις νόσων ἰητροί, ut locutus est idem VI. Epid. Sect. I.

FINIS.




TH. XCIX












X. 2615890


UDAT











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

f. MEDICÆ

IBVS  
NERE,

ante gratiã  
sium *Universitate*

IDE  
O MAPPO,  
ubl. ordinario,

ci edendi causã  
titorum congressu.

defendet  
REDVS STÖSSERVS,  
ensis.

o M DC XCVII.



RATI  
IDERICI SPOOR.

Handwritten numbers and scribbles in the top right corner of the page.